DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS IV. APRILIS.

M. BERTINO DIEVXIVOYE, Doctore Medico Præside.

1085

An conglutinandis tenuium Intestinorum vulneribus parcißima Diæta?

ANIMA quandiu viuimus suis mancipata organis, tam nihil per se molitur, vt eorum operâ carere minimè liceat: ex multis vero quibus vtitur, caue credas, singula ad eius nutum gerere quodlibet, cùm, quantus est partium numerus, tot duntaxat edendis natæ videantur functionibus, præter quas otiari tenentur. Soli spiritus præ tenuitate suâ expediti & alacres, præsto sunt ad officium, eò quidem magis diuinæ suæ heræ accepti & consimiles, quòd quemadmodum illa vbique est & agit, sic ij in omnem locum & partem, diceres ad signa milites, conueniant obsequij causa. Vt verò quoties partium inter se consensus aliquis & ordo seruatur, quidquid iusserit anima, hoc exequi satagunt; sic non priùs ille ductuum infarctu vel continui solutione intermissus est, quin, pereunte illo maiori melioriqûe partium quàm sonorum concentu, sanitas & vita concidant. Et sanè tam graui redimendæ noxæ, natura sui percupida, illatum partium continuitati damnum, quocunque reparare modo nititur, dum eas quæ diuisæ sunt sanguineas quidem sub priori formâ, spermaticas vero & duriores sub alienâ, cutem nimirum, membranas hisque affines alias cicatrice, ossa verò, præterquam infantium, callo superinducto gratæ asserit symphysi. Quæ quidem omnia eâ geruntur ratione, vt quamuis spermaticæ partes dissimili accedente materiâ, ceu medio quodam diuersæ ab iis quæ diuisæ sunt naturæ, conglutinentur, illæ seu carneæ, eodem quo constitutæ sunt sanguine coalescant, sed solius vtrinque naturæ viribus, quam profectò eâdem vti facultate Conformatrice persuasum habeas, quâ olim in vtero freta, corpus, in eoque singulas eius partes adornauerat.

VVLNVS recens in parte molli sed cruenta solutio, breui fit carnium clades, dum sanguis, quo stillat, laxatis vasorum custodiis, aërisque contagio corruptus, in saniem desciscit. Illud graue & periculi plenum, si cum ἀξιόλογον fuerit, nerueam, exanguem, propriéque dictâ carne vacuam partem, verbo dicam, tenuium Intestinorum aliquod occupet. Nunquid enim dum cibi potusve exitus, nausea frequens, vomitus, singultus mali ominis, hypochondriorum tensio, sudatiunculæ, extremorum frigus locum ostendunt affectum, vulneris κακοήθειαν, adeóque suis numeris completam magnitudinem apertè declarant? Quid si tantæ vtilitatis partium vitali distributionis officio carere, simúlque seruari non datur? Quid dum illis flatu vel inflammatione distentis, hians obijcitur vulnus, quod chyli, vel cuiuscunque saniei iugiter elabentis attritu labiis occallescentibus, verè δυσμεταχείριστον euadit, & lethale, nisi quidem tutiori admissâ methodo caueas sedulò, ne coïturas inter particulas iniqua suborta humiditas agglutinationem impediat, quam nullius Chirurgiæ ope, sed vnius Diætæ viribus comparandam, quisquis acriori suturâ, nec non asperso puluere κολλητικῷ molietur, peruersis artis legibus aget κακόεργος; hæc enim alieni ablationem spectat, naturæque victrici inferior, ei manum exhibet vt erigatur ad opus, remotisque impedimentis viam sternit, vt obductis conuenienti medio partibus, intelligas, quàm nihil tunc efformandæ carni vel cicatrici inanis medicamentorum suppellex proficiat.

OCVLATA verè manus est, & angue munita, quæ ad operationem habilis & expedita, Medici longiùs prospectantis prudens admittit consilium. Sed quàm multos inuenias Leonis exuuio indutos, auriculas ad lyram mouentes Asinos in vnguento, qui cum loqui nesciant, & tacere non possint, nihil non in Medicina fallaciter imitando adulterant, séque χειρουργοὺς, rerúmque hoc ipso potitos arbitrati, Diæteticen nihili faciunt, quam exilio damnare non verentur. Quasi verò qui familiam ducit arbiter Medicus, institutâ victus lege nectendis vulneribus idoneâ, otiosus spectator, aut muta persona nihil ad id vtilitatis & fructus afferret; totúmque reparatæ vnitatis negotium solius manus operâ adimpleretur. Sed ô rem totam odiosam! Ex ijs quas administratrices habet Ars benefica, tanti ne facienda Chirurgia, vt posthabitis cæteris, illius labefactetur dignitas, quæ summâ necessitate commendatissima, cibi & potus scientiam capit, principémque nacta locum, Prudentiæ contubernalis, Longæuitatis amica, meliorísque Valetudinis architecta, & morborum Medicatrix, minimè leuissimam illius partem constituit; quippè quâ absente aut auulsâ, Therapia omnis manca & debilis suóque meliori membro capta deficit, adeóque retrorsùm cedit solutionum continui medela, vt cum leuiora ingrauescere, benigniora efferari, dubia in certum trahere discrimen videantur, quæque iam lethalia circumferuntur vulnera, seipsis θανατωδέστερα euadant Diætæ neglectu; singula ex aduerso, hæcque præsertim quæ nobiliora tenent nutritionis organa, gracilia scilicet Intestina, majorine an artis, an naturæ beneficio dixeris, eiusdem ad lancem rationis optimè constituti victus diligenti curâ, securitatem nanciscantur?

RECTA κατὰ τὸν ἰσχνασμὸν solutæ Continuitatis suscipitur curatio, cui vt præcipuo operi totus incumbas oportet, aut sanè symphysim non quæris, finis nimiùm negligens. Componuntur verò diuisæ particulæ, dum Vulnerum inuicem appositis oris, humorum in eas prohibetur affluxus parcissimæ Diætæ beneficio. Hæc enim deductâ alimenti maximâ parte, omnem penè saniei locum, Chylóque præterlabendi occasionem, præcidit. Sed cùm pro tantulâ assumptorum copiâ, minor sit sanguinis prouentus, quàm vt obviæ primùm parti parùmper sufficiat, in eâ, adnatísque tenuibus Intestinis, inflammationi flatibusve conclusis materia deest, nec exsiccari dempto superfluo humore hæc ipsa desinunt, vt possit vulnus ὑγιαίνεσθαι, & eius in vnum labia concrescere. Nec est quod interea te moretur virium ægri iactura, quas nec tenuisse in integro, nec accessione meliores reddidisse profuit vnquàm, cum nemo nisi iam ijsdem extenuatis saluus à morbo consurgat. Sat supérque feceris si facultatem accisam licet aut imminutam vtcunque seruando, saucium minimè conficiat ἀποκαρτέρησις, miráve Methodicorum διάτριτος ineptâ primò quidem post quartum diem, tùm verò alternis, cibandi formulâ, non excruciet. Longè alia per alimoniæ paucitatem tenenda via est, cum ex triplici quæ commendatur in morbis Diæta, vulgaris, eive affinis media, vel solo quantitatis mediocris nomine explodenda, nihil instituto conducat, ipsáque ζωθερὰ seu exquisita, suis nequidem vacet incommodis, quippè quæ maiori volumine explicata, minimum virtute alimentum offert, quod paruâ mole πολύτροφον præscribens, eius sic exhibendi rationem moderatur Medicus, vt dum ex eo pares, ad decimum quartum, aut paulò vltrà vires sufficient, acceptus ventriculo pauculus cum potu cibus coquetur & nutriet, nullâ fere eius prætergrediente particulâ, tenue Intestinum quà violatum est, haud dehiscat, sed ob eam quâ laborat, penuriam corrugatum, admotis plagæ labellis, obducatur cicatrice.

AN verò huic coagmentationi promouendæ, aliam, nisi remotam conducet opellam Chirurgus, dum vulnus extergit, subiectîsque vino madentibus splenijs fascias admouet continendi gratiâ, vel dùm amplificato cùm oportet exteriori vulnere, Intestinum in suam compellitur sedem, eôve effusus nimius humor per Pyoulcum exsugendus est, alioqui si paucus datur, nec dùm in adenes amandatus, loci calore digerendus. Tua mehercule qualis designatur victus restrictè offerendi ratio, acuratissimaque, vt rem inchoat, sic totam perficit Diæta, quæ vnicâ contineatur liquidioris alimenti librâ ex iusculo carnium euchymarum, vino subaustero, nunc meraciori, nunc diluto, saccharato, nec non gelatinâ cornu ceruino medicatâ, comparati. Si enim iusculi cochlear vnum secundâ quâque horâ, pari gelatinæ, aut vini quantitate interjectâ diu ac noctu exhibere toto curationis tempore non graueris, idem contingat, quod apud eos amat fieri, quibus ex septem pluriumve dierum inediâ ἡ νῆστις συνεφύη, sed longè dispari exitu, hi enim sumere persuasi, ventriculo non ampliùs admittente, fatis cedunt, in illis vero, cùm parcissimè licet sumendi crebritate assuefactus minimè repugnet; cohærentibus tamen, contractisque in sese tenuioribus Intestinis, vulneris labia ad angulos primum coeundo iunguntur, eôque magis, quò effingendæ cicatrici nec humor quantuluscunque est álibilis desideretur, nec suâ intestinum, minimè πρὸς τὸ πέρας διακεκομμένον, sufficienti pro fundamento carne priuetur. Adeò cæteris præstat antecellitque medicamentis quæ glutinandi prædicantur viribus sanguis eive congener alius humor, qui solus optimum gluten, singulárisque adinstar medij, solutis accedit partibus, vt eas iam sibi inuicem nâtas, mutuôque, quòd summum est sympathiæ opus, coalitus amore flagrantes, nusquam arctiori consociet vnitatis vinculo.

Ergo conglutinandis tenuium Intestinorum vulneribus parcißima Diæta.



Proponebat Lutetiæ FABIANVS PERREAV, Parisinus, A. R. S. H. M. DC. LVIII.